

eius miraculosa, quae ab anno 1631 propter Saecorum et haeticorum oppressionem, viduato monasterio per 3 annos, in ecclesia Berlingensi, inde per 21. annos in ecclesia majore monasterii culta et devote visitata fuit, solenni processione, duorum sacerdotum humeris, comitante domino abbate et conventu, et 4 vicinis parochiis, ad sacellum Neuses reportata, et altariolo ad sinistram erecto venerabunde imposita fuit, concionante rev. patre Francisco Kraf. — 7 Septembris consecratum est de novo summum altare majoris ecclesiae a rev. domino Joanne Melchiore Sölnero \*, episcopo Domitopolitano, in honorem sanctae dei genitricis assumptae, sancti Andreae apostoli et sancti patris nostri Bernardi. 8. dito ab eodem sacramenta ordinationis et confirmationis ad altare agoniae domini administrata.

1657. Speciosae Vallis iubilari, quinque utpote saeculis inter varia et magna schismata, clades, bella et haereses, in vicinia et fere in contiguo nationis pravae acatholicorum et hostium, deficientibus, deletis et occupatis ab haeresi tot aliis illustribus ecclesiis, a deo per beatissimam virginem Mariam conservatae.

Hoc etiam anno [1657] expensae factae ultra 112 fl. pro novis libris ordinis ad usum chori et breviariis reformatis. Circa sarta tecta reparata, partem muri in pistrina reparari, tecta turrium et templi et bibliothecae et pontis murum incrustari curando; aquae-ductus pro fontibus inquiri et purgari etc.; sacellum Neuses, rectorium et musaeum in conventu dealbari; pro sacristia ad sacrosanctas reliquias et paramenta 107 fl.

Hoc etiam anno [1657] 10 Aprilis monasterio ad dictus nobilis dominus Joannes Godefridus de et in Aschhausen, ultimus stemmatis et sanguinis obiit, sepultus in templo vici Aschhausen etc.

1658. Prata in Westernhausen anno 1635, pro 270 fl. a nobili de Rossach empta, 15 scilicet jugera, ex praetensa laesione infra dimidium justi pretii, repetita a nobili filio Joanne Philippo, cum pluribus nobilibus ad stipulantibus, tandem composita res 5 Aprilis et 351 fl., quos parens debuerat pro vino et frumento sub bellis hic accepto, simul in memoriam servati semel anno 1645 sub Hassis, monasterii nostri, eidem remissi et condonati sunt.

1659. celebratum capitulum nationale Ueberlingae in Maio. Emptae 5 novae casulae pro sacristia, nova tunicella et dalmatica pro missa pontificali, reparatus

\* Göbhardt a. a. O. S. 371 u. 375. nennt ihn 1625 Johann Melchior, Sölnner, Canonicus von Neu-Münster und Kirchengarth (consiliarius ecclesiast.) und 1637 Generalvikar.

ornatus sericus funbris aurofrigiatis plura etiam missalia et breviaria comparata. Exstructa domus primisariae in Oeden, itemque reparata domus parochialis ibidem, nec non et solutae expensae in turrim ecclesiae ibidem ad 40 fl., reparata tecta in aedibus nostris in Heilbronn.

1660 in Martio duo nova altaria in majore ecclesia monasterii erecta sunt, alterum cum pictura agoniae domini, alterum assumptionis beatissimae Mariae virginis ad duas columnas in navi ecclesiae, alterum solum fuit reparatum 30 fl. et fuerat prius in parvo sacello. Ejus loco novum ex nucis stirpe ibi erectum cum imagine beatissimae Mariae virginis, auxiliatricis, sicut est Passavii. Ejusdem sanctissimae virginis matris, advocatae praecipuae monasterii, icon seu statua lapide excisa erecta supra portam ingressus monasterii, ut ipsa protegat et a deo conservari in sanctitate et pace obtineat locum sibi dicatum, ab inferno et maligno hoc mundo undique pro hoc tempore impugnatum. Novum horreum frumentorum aedificatum pro 300 circa fl. praeter ligna et victum. — 22 Aprilis ex commissione rev. dom. Salemitani peracta visitatio monasterii Ebraensis socio rev. patre Angelo Hebenstreit, priore. Hoc etiam anno [1660] initium sumpsit bellum Turcico-Germanicum, capto a Turcis Waradino in Hungaria cum 4000 pagis.

1661. 17. Novembris Romam advenit rev. p. Claudius Voussin, generalis [Cisterciensis] et magno honore a papa et cardinalibus affectus. Tria hoc anno decreta Romae publicata pro religiosis 2. Julii: 1) de usu et esu carniū Cisterciensibus permissio et fundamentali ordinis reformatione summo pontifici reservata et actu instituta per certos praelatos, consultis interim per epistolas totius orbis abbatibus et patribus ordinis ad hoc idoneis, praeside constituto rev. dom. Algeri. 2) de usu breviarii Romano-Benedictini Cisterciensibus post lapsum anni injungendo. 3) de usu pontificalium abbatibus universim ad tres dies atque ad certos actus restricto. Propter primum negotium reformationis ordinis indictae fuerunt preces per totum ordinem usque ad Julium anni sequentis.

1662. mense Februario instituta 5 dierum conferentia cum nobilibus et subditis in Berlichingen, ast sine optato effectu. Eodem anno et mense soluta debita domino de Werdnaw pro bonis Biringensibus et hoc ipso felici anno soluta quoque omnia alia monasterii debita . . . millium attingentia. Laus deo semper.

1663. 3. die Julii 4 monasterii campanae fractae et de novo fusae, addita quinta ad sacristiam. Bene-